177639

PRODROMVS

SERENISmi ET POTENTISmi

SIGISMVNDI III POLONIARVM

ET SVECIÆ REGIS MAGNI DVcis Lithuaniæ &c. Amplissimarum Terrarũ Moschouiæ Triumphatoris Felicissimi, de capta arce Smolenscensi.

13. Iunij Anno. 1611.



CALISSII,
In Officina Alberti Gedelij, Anno Dñi,
1611.

AD LECTOREM.

CVm tarda volitat fama quòd Prodromus iste
Pegasei nec iter conficit instar equi;
Miraris? Via longa fuit. Sed tempore paruo
Fama, nouis, orbem nonnè replere solet?
Trita via, haud sonipes remoratus Prodromon. Esto.
Certa noua vt posset dicere, tardus erat.

ALIVD.

ÆMulus aduersus Famæ, veri inscius autor,
In vulgus Rumor plurima falsa dedit.
Mænia Smolensko nondum cessisse furori
Martis SISMVNDI, nec subiisse iugum.
Concrepat en pleno cornu prænuntia veri
Fama; & Rumoris vox stata, VICIT, ait.



SMolenſcum inter vrbes Moſcho: Imperii ſingulare defẽſionis prçſidiũ à primo pacti fæderis auſpicio, cum Magno Ducatu Lituaniæ, ac totũ Seueriẽſe territoriũ à Regibus Poloniæ vectigalium iure cenſebantur, quoad nefarii proditoris leuiter offenſi fraude & dolo violati Sacramenti proditum, & nonagnita annorum decurſu Magni Moſchorum Principis, traditũ imperio. Ad eius recuperationem in Polonia regnaturi ſacramento adigebantur, vtq; in eam cogitationem ſeriò incumberent Senatus, & Procerum conſiliis, perpetuò ſolicitabantur. Verumenimuerò cùm arma Polonorum per id tempus quà foris, qua domi, feſsa animos volentium diſtinerent; rei bene gerendç Sigiſmundo eius nominis Tertio, pro maximi animi Principi, occaſionem & campum liberrimum præbuit, ius gentium, & ius hoſpitii violatũ: Tum impoſtoris qui ſe Magnum Ducem hæreditario ſucceſsu venditabat, effrænata audacia: & prçſens, ſi barbari moram prçuertiſſent, Reipub. periculum; Deniq; incolarũ non obſcura animorum propenſio, & vindicandæ deſiderium libertatis. Poſtquam expeditione decreta oppugnatio in biennium fermè, ſiue Regis clementia, ſiue illius gẽtis aſtu

tis aſtu

tis astu & pertinacia extraheretur; cum nec disiectorũ murorum ruinę, nec frequens inclusorum, contagione sæuiente mors, nec Castellorum deditorum in dies adcrescens multitudo, deniq; fusa, fugataq; auxilia, quæ præsidio salutis esse debuerãt; captiui Duces apud pertinaces, & desperatione obstinatos animos quidquam momenti habuisent; in castris verò cõmeatus difficultate itinerum adducta inopia, & protracta stipendia licet periculoso labore premerent, & sola in Patriam ac Reges germana fides, & qua nullus maior fructus gloriæ cupido detineret; Rex celeritate magis, quàm procrastinatione vtendum ratus, peritisimo stratagematum, & artis militaris Iacobo Potocio qui copiarum Poloni exercitus regimen habuit, curam maturãdi negotii demandat, vt dirutis murorũ propugnaculis, quæ Kozakorum castra respiciebant, hostem munitionibus restaurandis, diurno nocturnoq; opere fatigatum, illi maximè loco attentum, affigerent. Cõpertis omnibus in promptu, quæ insultui non frustra faciendo subseruirent, nocte concubia Pręfectos, & militem ad nutũ esse iubet, castris sensim produci machinas, expediri demolitioni præpropere necessarias. Quadripartito exercitu oppugnationem aggrediuntur: ab vna parte Potociani stipendiari equites strenui, & non paucis exerciti bellis, ascito in partem periculi, & bonę spei, Optimatum quorundam Polonorum subsidiario pedite, ad

te, admotis scalis, Duce primordia insultus auspicāte, qui viam ferro patefacientes, muros feliciter occupāt. Altera ex parte duce Martino Waiero Germani milites aperto mortis discrimine, scalarum itidem adminiculo, ad sūmitates muri pertinaci animo nitūtur. Non defuit, distracto licet hosti, mira in defendendo celeritas & promptitudo. Nam multa vi & impressione facta nostros propulsant, adhibita etiam meliercularum quæ feruenti pice succedētium capita perfunderēt, opera. Sed dum quá se nostri ingerant attenti, cętera verò negligunt Moschi, Dorostaicius M. Ducatus Lit. Mareschalus & Albertus Nowodworski Polonus Eques Militensis, cum Regiis præsidiariis, suorum etiam equitum adhibito auxilio, silenti agmine currunt, ad canalem exonerandæ aquæ accomodatum, peramplū quidem, sed cratibus ferreis impeditum. Hoc in loco magnam vim pulueris intrati per artem dispositam, subiiciunt, cuius impulsu ingenti, fragore terribili mœnia dissiliunt, spatium introitus triginta cubitos latum pandunt, quo repente miles Ductorum vestigiis inuolat, signa explicans, proxima quæquæ occupat. Porrò dum ita tribus in locis res strenuè & ex voto agitur, Felinensis præsidii Præfectus, adductis manipuli sui militibus, cum certa peditum manu, ad foramen multo ante excussum quod castrorum nostrorum situm respicit, & quo hostis summa quęquæ ad defendendum contu-

 lerat,

lerat, facit impetum, indeq; admirabili facilitate propugnatores depellit. Consternatus hîc Moschus, & inopinata vndiq; irruptione perculsus, acie victoribus turpiter cedit. Atrox interea oritur cædes, occumbũt plurimi, & aream, vt quisque in fugam effusus ceciderat, cadaueribus cooperiunt; reliqui latebrarum beneficio frustra se cõmittunt. Pedites etenim concursu ad ianuas domiciliorum facto illas diruunt, abdita explorant, omni spe vitæ præcisa ad mortem cogũt. Nullus clementiæ locus, aut deprecationi reliquus fuerat, si fæmineum sexum, & masculos tenera adhuc ætate exceperis. Korzak Palatini minoris fũctus officio in vinculis adducitur. Prçterea Metropolita ex Sacrarũ ædium penetralibus, amictus Pontificali splendida & preciosa, vt litaturo mos erat, veste in omniũ oculis sistitur, saucius tamen ex vulnere à quopiam gregario importunè feruẽte. Sein verò qui se in munitissimũ propugnaculum abdiderat, cum nonnullis equestris ordinis hominibus, licet primis rumoribus puluere tormentario interiisse diceretur, inuentus, supplexq; Regiæ M. accidit. Seruatur incolumis, vt quantum cuiq; loco apparatu bellico sit prouisum, suo tempore documento esse posit. Porrò cum ad Monasterium procederent, agmen nostrum vnius decrepitæ anus, quæ in cuniculis dispositum puluerem ad discerpendum succedentem militem, latere intimauerat, saluatum.

Pauci

Pauci eo prelio ex nostris desiderati, non amplius quindecim, ceteris illustrior Gorecki Centurio. Hostes quà ferro, quà flamma absumpti plurimi. Obrutus quidam ruderibus ex æditituis Monasterii, octodecim diebus sine cibo & potu superuixit, aliis omnibus enectis, qui simul ac erutus est, & illo periculo liberatus, statim vitam cum morte commutauit. Contigit & illud non minus mirabile quod cuiuis veritatem, si dictorum fidem suspectam habeat, persuadere poterit. Vigesima sexta Iunii cum Rex lustraturus arcem venisset, examẽ apum eum subsecutum est, quod inclusum alueari hariolorum coniectura spondet perpetuæ pacis, stabilitatem. Ita demum supplicationes publicę per Illmũ & Reuemũ D. Albertũ Baranowski Archiepiscopũ Gnesneñ. decretę; cum toto expeditionis tẽpore maximè feruerent, Diuina bonitas omnia in melius, temporis etiam interposita mora transferendo; arcem, muro cubitos nouẽ lato, triginta octo fortissimis turribus firmatam, amplius ducentis machinis bellicis, ingenti globorum, ac pulueris tormentarii copia, octo insuper propugnatorum millibus, & commeatu plurimo munitam, Regis pietati, prudentiæ, & inuictę constantiæ, fortitudini militum ad Patriæ & nominis Poloni decus sempiternum, obtulit recuperandam.